

sanè gaudeo, & tua & condiscipulorum cau-
sa. T. Quid si narras illis meam pœnitentiam?
P. Ego vero narrabo primo quoq; tem-
pore; vt exemplo tuo discant nihil esse acce-
ptius Deo, quam culpam agnoscere, & ad
frugem bonam redire. Vale, fili, & adesto ho-
ra tertia in auditorio. T. Ago tibi gratias in-
gentes amantissime præceptor.

COLLOQVIO- RVM SCHOLASTI-

CORVM.

Liber Quintus.

**Paulo grauiora continens: præ-
fertim in moribus & christiana
doctrina.**

COLLOQ. I.

Oculi teneritudo, ex leui puluisculo laborantis.

LAVRENTIVS. SAMVEL.

Obscuro te, Samuel, da mihi operam pau-
lisper. S. Quid istud est? L. Nescio, quid
incidit mihi in oculum, quod me habet val-
dè malè. S. In vtrum oculum incidit? L. In
dextrum. S. Vis inspiciam? L. Inspice ama-
bo te. S. Aperi, quantum potes, ac tene im-
motum? L. Non queo à nictu continere. S.
Mane? egomet tenebo sinistra manu. L. Ec-
quid vides? S. Video aliquid minutum. I.

Exi-